

gistratum urbanum gerere, qui non decem annis militasset *Liv. lib. 10. dec. 4.* hac re incitati, & virtute & animo pares esse laborarunt, tametsi aliquando à duce & à fortuna desererentur, tamen omnem spem salutis in virtute ponebant, & quoties quæq; cohors præcurrerat, ab ea parte magnus hostium numerus cadebat *Julius Cæsar lib. 5. de bello gall. p. 120.* Cimbri & Celtiberi t. *Cic. lib. 2. Tusc. quæst. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. & Ælian. lib. 12. var. hist. Cantabri & Astures t. Sæbell. lib. 7. En. 8.* Pro novis stant Vngari, Saxones, Belgæ & alij inferioris germaniæ populi, qui hætenus contra Hispanum armata manu bella gesserunt & victoriam reportarunt, ob hanc causam moti Alexandrini, nullos milites, nisi peregrinos admiserunt *Veget. lib. 1. de re milit. cap. 2. Alexand. ab Alex. lib. 1. c. 20.* III. quod timidiore plerumque sint indigenæ quam extranei, dum de uxoribus, liberis, vineis, villis & alijs suis cogitant bonis *Melch. lun. in q. pol. part. 2. quæst. 64.* Sequuntur jam rationes pro subditis contra peregrinos quarum I. quod indigenæ, cum unum locum, unum forum, unam vocem, mentem atq; religionem habeant concordiores sint, quam peregrini ex varijs locis in unum exercitum congregati *Cassius in Spher. Civ. l. 2. p. 21.* II. quod amantiore sint patriæ & alacriore ad pugnandum quàm pretio comparati, qui solum prædam & pecuniam spectant, igitur sæpe in ipsa pugna, sine pudore flagitij & cura Ducum abeunt & fugiunt, unde illorum opera secundum *Juvenal. Sat. 8 v. 90.* maxime hodie

Ossa vides Regum vacuis exsucta medullis

III. quod obsequium & patientia imperij in istis longe sit præstantior *Lipsius in pol. lib. 5. c. 9. p. 288.* IV. deniq; quod non ut exteri regna ad se trahant, ut exempla testantur Longobardorum in Italia, Saladini in Ægypto, Francorum in Gallia, Anglo Saxonum in Brittannia, qui conducti mercede ejectis incolis ipsi regna occuparunt *Bodin. lib. 5. de repnb. c. 5.* plures ad hujus sententiæ confirmationem rationes peti possent ex *Melch. lun. d. l.* quas brevitatis causa hic præterire cogimur. Ad nostræ autem sententiæ declarationem dicimus prudentis belli Imperatoris officium esse ut absolutè genitos eligat milites, ut ex *Curtio refert in quæst.*